This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

B.I.

Digitized by Google

X^l 515

M^e
BIBLIOTHEEK
SEMINARIE
LIESBOSCH

Digitized by Google

Digitized by Google

PRECES SELECTAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRECES SELECTAE

QUAE

SACERDOTI IN ECCLESIA ET SACRISTIA USUI ESSE POSSUNT,

ADNOTATIS INDULGENTIIS ANNEXIS,

NECNON

FORMULAE CONSUETAE

BENEDICENDI ROSARIA ETC. AC IMPONENDI SCAPULARIA.

R. K. BOEKHANDEL VAN A. N. COVERS DEN HAAG

HARLEMI,

EX TYPOGRAPHIA HOSPITII S. JACOBI.

1873.

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

—

HARLEMI,
hac 18 Decembris 1872.

H. VAN BEEK,
Vic. Gen.

T. B. I. - NIJMEGEN
REG. B 8772
SIGN. 69 e 132

Digitized by Google

Benedictio populi

Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor Ps. 50. Miserere mei, Deus secundum magnam misericordiam tuam

Gloria Patri etc.

Deinde repetitur Antiphona „Asperges me" usque ad Versum.

V Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

R. Et salutare tuum da nobis

V Domine exaudi orationem meam

R Et clamor meus ad te veniat.

V Dominus vobiscum

R Et cum spiritu tuo

Oremus

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen

Digitized by Google

Tempore paschali. h.s. à Dominica Paschae usque ad Pentecosten inclusive cantatur sequens antyphona:

℣. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro alleluja: et omnes ad quos pervenit aqua salvi facti sunt et dicentes: alleluja. alleluja: Ps. Ps. 117. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus

℣ Gloria Patri etc

PRAEPARATIO AD MISSAM.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen *).

ACTUS CONTRITIONIS.

Doleo, benignissime Jesu, de omnibus et singulis peccatis totius vitae meae, eaque detestor super omnia mala ex gratuito tui amore, quia Deus es totus in te bonus, totus in te amabilis et in sanctitate tua magnificus, firmiterque propono quaelibet potius sustinere mala quam deinceps peccato consentire : contristor etiam quam maxime supra infirmitates meas et imperfectiones quotidianas, necnon ob ariditatem animae meae quibuscum accedere

*) Pius PP. IX. concessit Indulg. 50 dierum 28 Julii 1863.

Digitized by Google

praesumo ad vivificum corporis et sanguinis tui mysterium : purifica in me, quaeso, omnem terrenum amorem, et inflamma cor meum igne amoris tui ardentissimo, ut sine impedimento in Altari tibi serviam, tibi intime uniar, in te deinceps vivam et requiescam. Amen.

Ne reminiscaris,* Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum : neque vindictam sumas de peccatis nostris. *In duplicibus duplicatur. Tempore Paschali additur* Alleluia.

PSALMUS 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum : concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum : et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Digitized by Google

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem

Digitized by Google

diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia : Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri.

PSALMUS 84.

Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos Deus salutaris noster ; et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos : et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, miseri-

Digitized by Google

cordiam tuam,: et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius : ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est : et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem : et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit : et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri.

Digitized by Google

PSALMUS 85.

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me : quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die : laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis et mitis : et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam : et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te : quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine : et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti,

Digitized by Google

venient, et adorabunt coram te, Domine : et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : laetetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo : et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me : et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam : et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator et misericors, patiens, et multae misericordiae, et verax.

Respice in me, et miserere mei, da imperium tuum puero tuo : et salvum fac filium ancillae tuae.

Digitized by Google

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur : quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri.

PSALMUS 115.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam : et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea : tibi sacri-

Digitized by Google

ficabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri.

PSALMUS 129.

De profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine : Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est : et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem : speret Israël in Domino.

Digitized by Google

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri.

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

v. Ego dixi, Domine, miserere mei.

R. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

v. Convertere, Domine, aliquantulum.

R. Et deprecare super servos tuos.

v. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

R. Quemadmodum speravimus in te.

Digitized by Google

v. Sacerdotes tui induantur justitiam.

R. Et sancti tui exultent.

v. Ab occultis meis munda me, Domine.

R. Et ab alienis parce servo tuo.

v. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Digitized by Google

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine : ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet : et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti : quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docũisti : da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica : ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiri-

Digitized by Google

tus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

ORATIO S. AMBROSII.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio : et quem judicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo: tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro

Digitized by Google

quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te : miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve salutaris Victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis et pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea : ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear sancta sanctorum ; et concede, ut

Digitized by Google

haec sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

ORATIO S. THOMAE AQUINATIS.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi: accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem,

Digitized by Google

illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate

Digitized by Google

Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

OBLATIO SACRIFICII, SEU DIRECTIO INTENTIONIS ANTE MISSAM.

Domine Jesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in ultima coena, et in ara crucis, sacrificium Corporis et Sanguinis tui Deo Patri obtulisti, hoc idem sacrificium ei offerre intendo. Complaceat sibi, o Jesu, in te, et per te propitius nobis sit in vitam aeternam.

Te precor, Domine Jesu Christe, pro omnibus illis, pro quibus orare decrevi, et quibus sum conjunctus, et qui mihi conjuncti sunt spirituali participatione, consanguinitate, affinitate, familiaritate, commendatione, devotione, eleemosynarum largitione; qui pro me orant, pro quibus debitor sum, et qui se commendarunt ora-

Digitized by Google

tionibus meis; pro cuncto populo christiano, et pro dioecesi nostra; pro omnibus Praelatis sanctae Romanae Ecclesiae, et universo Clero : ut eos in tuo sancto servitio humiliter, fideliter et devote perseverare facias; pro omnibus fidelibus christianis, vivis atque defunctis, in quacumque angustia et tribulatione positis : miserere et tribulatis succurre. Amen.

ORATIO AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM.

O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti astitisti, ita et mihi misero peccatori, et Sacerdotibus omnibus, hic et in tota Ecclesia sancta hodie offerentibus, clementer assistere digneris : ut tua

Digitized by Google

gratia adjuti, dignam et acceptabilem Hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Per sanctam Virginitatem et immaculatam Conceptionem tuam, purissima Virgo Maria, emunda cor et carnem meam. Amen.

ORATIO AD S. JOSEPHUM. *)

Virginum custos, et pater sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Jesus, et Virgo virginum Maria commissa fuit : te per hoc utrumque charissimum pignus, Jesum et Mariam, obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde, et casto corpore, Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

*) Sacerdotibus, singulis vicibus, et quovis tempore orationem primam, secundam autem cum Antiph., Vers. et Resp. ante Missam devote recitantibus, unius anni Indulgentiam animabus in purgatorio applicabilem concessit PIUS VII. anno 1802.

Digitized by Google

Antiph. O felicem virum beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

v. Ora pro nobis, beate Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui dedisti nobis regale Sacerdotium, praesta quaesumus, ut sicut beatus Joseph unigenitum Filium tuum, natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare: ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis Altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

ORATIO AD SANCTUM CUJUS FESTUM CELEBRATUR.

O sancte N., ecce ego miser peccator de tuis meritis confisus, offero nunc sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, pro tuo honore et gloria, et precor te humiliter et devote, ut pro me intercedere digneris, ut tantum sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam Deo, et eum tecum et cum omnibus electis ejus aeternaliter laudare valeam. Amen.

ANTE MISSAM. *)

Ego volo celebrare Missam et conficere Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam to-

*) Gregorius PP. XIII. concessit indulgentiam quinquaginta annorum cuilibet Sacerdoti devote recitanti hanc Orationem ante celebrationem Missae.

Digitized by Google

tiusque Curiae militantis: pro omnibus qui se commendarunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Digitized by Google

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Trium puerorum * cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quae Antiphona in Festis Duplicibus tantum duplicatur; et tempore Paschali additur in fine Alleluia.

CANTICUM TRIUM PUERORUM.

Benedicite, omnia opera Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite, Angeli Domini, Domino : benedicite, coeli, Domino.

Benedicite, aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino : benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.

Benedicite, sol et luna, Domino : benedicite, stellae coeli, Domino.

Benedicite, omnis imber et ros,

Digitized by Google

Domino : benedicite, omnes spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et aestus, Domino : benedicite, frigus et aestus, Domino.

Benedicite, rores et pruina, Domino : benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite, glacies et nives, Domino : benedicite, noctes et dies, Domino.

Benedicite, lux et tenebrae, Domino : benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicat terra Dominum : laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite, montes et colles, Domino : benedicite, universa germinantia in terra, Domino.

Benedicite, fontes, Domino : benedicite, maria et flumina, Domino.

Benedicite, cete et omnia quae moventur in aquis, Domino ; bene-

Digitized by Google

dicite, omnes volucres coeli, Domino.

Benedicite, omnes bestiae et pecora, Domino : benedicite, filii hominum, Domino.

Benedicat Israel Dominum : laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite, sacerdotes Domini, Domino : benedicite, servi Domini, Domino.

Benedicite, spiritus et animae justorum, Domino : benedicite, sancti et humiles corde, Domino.

Benedicite, Anania, Azaria, Misael, Domino : laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu : laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es Domine in firmamento coeli : et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

Digitized by Google

PSALMUS 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri.

Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

v. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

Digitized by Google

v. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

R. Et sancti tui benedicant tibi.

v. Exultabunt sancti in gloria.

R. Laetabuntur in cubilibus suis.

v. Non nobis, Domine, non nobis.

R. Sed nomini tuo da gloriam.

v. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus Domine,

Digitized by Google

vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO S. THOMAE AQUINATIS.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor, ut haec sancta Communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, charitatis et patientiae, humilitatis et obedientiae, omniumque virtutum

Digitized by Google

augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio: motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhaesio: atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO S. BONAVENTURAE.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo et saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque et apostolica sanctissima charitate, ut langueat et liquefiat anima mea solo

Digitized by Google

semper amore et desiderio tui, te concupiscat, et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis: te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae: te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et

Digitized by Google

affectu, cum perseverantia usque in finem : et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

ORATIO AD JESUM *).

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar : vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier

*) Pius PP. IX. Indulgentiam trium annorum benigne concessit Sacerdotibus, qui hanc Orationem *post* Missam recitaverint. (Decr. 11 Decemb. 1846).

Digitized by Google

atque delecter: aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum: mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

COMMENDATIO SUI.

Commendo me tibi, o bone Jesu, intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in aeternum separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium. Id rogo te pro me et omnibus amicis meis, per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum.

*) Anima Christi, sanctifica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inebria me. Aqua lateris Christi, lava

*) Pius PP. IX. Indulgentiam septem annorum benigne concessit omnibus Sacerdotibus, qui *post* Missam hanc orationem „Anima Christi" devote recitaverint. (Decr. 9 Jan. 1854).

Digitized by Google

me. Passio Christi, conforta me. O bone Jesu, exaudi me. Intra tua vulnera absconde me. Ne permittas me separari a te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meae voca me, et jube me venire ad te, ut cum sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO DICENDA ANTE IMAGINEM JESU CRUCIFIXI *).

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et charitatis

---

Eodem decreto concessit Indulgentiam plenariam semel singulis mensibus lucrandam ab iis, qui saltem semel singulis diebus oratione per mensem recitata, confessi et S. Communione refecti in ecclesia vel oratorio publico ad intentionem Suae Sanctitatis oraverint.

*) Pius PP. VII. (Decreto 10 Aprilis 1821) de novo concessit et in perpetuum confirmavit Indulgentiam plenariam, quam lucrari possunt omnes Christi fideles qui confessi ac S. Communione refecti, corde contrito et devote recitaverint hanc Orationem ante Imaginem qualemcumque Jesu crucifixi, orando pro necessitatibus S. Matris Ecclesiae. Potest haec Indulgentia applicari etiam animabus in purgatorio juxta declarationem Leonis PP. XII. et Decretum 17. Septemb. 1825. Ex declaratione Pii PP. IX. dici 31 Julii 1855 addenda est oratio pro necessitatibus Ecclesiae.

Digitized by Google

sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque Vulnera mecum ipse considero, ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David propheta de Te, o bone Jesu : *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.*

(Ps. 21. v. 17. et 18).

ORATIO EX CAP. 11. LIB. IV. DE IMIT. CHRISTI.

Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut qui officium sacerdotale suscepimus, digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari, ut debemus; concede nobis tamen digne flere mala quae gessimus, et in spiritu humilitatis

Digitized by Google

ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius de caetero deservire.

ORATIO AD B. V. MARIAM.

Serenissima et inclyta Mater Domini nostri Jesu Christi, Virgo Maria! Regina mundi, quae eumdem Creatorem omnium creaturarum tuo sanctissimo utero fuisti digna portare, cujus idem Corpus sacratissimum et Sanguinem sumpsi: apud ipsum pro me peccatore intercedere digneris, ut quidquid in hoc ineffabili Sacrificio, ignoranter, negligenter, irreverenter et accidentaliter omisi vel admisi, tuis sacratissimis precibus mihi indulgere dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO AD OMNES SANCTOS.

Omnes Angeli, omnes Sancti et Sanctae Dei, consolatio pauperculae

Digitized by Google

animae meae, et vos praesertim, Patroni et Protectores mei, impetrate mihi gratiam non peccandi de caetero, simul et sancte vivendi, ut tandem plenus meritis vestro consortio aggregari merear. Amen.

SI MISSA CELEBRATA SIT DE SANCTO, ORATIO AD ILLUM.

Sancte N., in cujus honorem incruentum Corporis et Sanguinis Christi Sacrificium obtuli, fac tua potenti apud Deum intercessione, ut usu hujus mysterii passionis et mortis ejusdem Christi Salvatoris nostri merita consequar, ac cum illius frequentatione continuo crescat meae salutis effectus. Amen.

Laudetur Jesus Christus: in saecula *).

*) Pius PP. IX. confirmavit indulgentiam centum dierum Decr. 23 Sept. 1846.

Digitized by Google

PRECES QUAEDAM PECULIARES.

HYMNUS DE SPIRITU SANCTO *).

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

*) Pius PP. VI. concessit Indulg. 100 dierum, 26 Maji 1796.

Digitized by Google

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium:
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

*) Deo Patri sit gloria
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Tempore Paschali.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

v. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terrae.

*) Conclusio haec extra tempus Paschale, quocumque tempore, semper servanda est. S. R. C. 7 Apr. 28 Jul. 1832. (Gardellini n. 4545, ad 4).

Digitized by Google

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

HYMNUS SS. AMBROSII ET AUGUSTINI.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur:

Te aeternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi coeli et universae potestates:

Tibi Cherubim et Seraphim, incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Digitized by Google

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,

Patrem immensae majestatis,

Venerandum tuum verum et unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriae, Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Digitized by Google

Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine: et benedic haereditati tuae.

Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum: et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

v. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.

R. Et laudabilis, et gloriosus in saecula.

Digitized by Google

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu.
℟. Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.
℣. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli.
℟. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.
℣. Benedic, anima mea, Domino.
℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis,

Digitized by Google

eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus praestas auditum: pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes; ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

PSALMUS 129.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, in vocem deprecationis meae.

Digitized by Google

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem aeternam dona eis, Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

v. A porta inferi.
R. Erue, Domine, animas eorum.
v. Requiescant in pace.
R. Amen.
v. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

v. Dominus vobiscum.
r. Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes, famulos tuos pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam; ut nostrae congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus conse-

Digitized by Google

quantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Requiem aeternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Requiescant in pace. Amen.

PRO UNO DEFUNCTO.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut animam famuli tui N. quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

PRO UNA DEFUNCTA.

Quaesumus, Domine, pro tua pietate miserere animae famulae tuae N. et a contagiis mortalitatis exutam, in aeternae salvationis partem restitue. Per Dominum.

Digitized by Google

AD BENEDICTIONEM.

*) Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

V. Panem de coelo praestitisti eis.
R. Omne delectamentum in se habentem.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam

*) Pius PP. VII. concessit Indulg. 100 dierum, semel in die, devote et corde contrito recitantibus „Tantum ergo" etc. 25 Aug. 1818.

Digitized by Google

reliquisti: tribue, quaesumus; ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO EX DOM. INF. OCT. SS. CORP. CHRISTI.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum.

PRO REGE.

v. Domine salvum fac regem nostrum.

R. Et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

v. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

v. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Pateant aures misericordiae tuae, Domine, precibus supplicantium: et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quae tibi sunt placita, postulare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO ANTE STUDIUM
(A SANCTO THOMA AQUIN. RECITARI SOLITA).

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres angelorum hierarchias annotasti, et eas super coelum empireum miro ordine collocasti, atque elegantissime partes universi distribuisti: Tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris atque supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium

Digitized by Google

claritatis: duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, loquendi gratiam copiosam: ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO IN HONOREM S. THOMAE AQUINATIS.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Thomae Confessoris tui mira eruditione clarificas, et sancta operatione foecundas: da nobis, quaesumus: et quae docuit, intellectu conspicere, et quae egit, imitatione complere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

ORATIO ANTE SACRAMENTALES CONFESSIONES EXCIPIENDAS *).

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni coelorum, ut nulli aperiam cui claudendum sit, nulli claudam cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, charitas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa. Pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos

*) Decreto S. Congreg. Indulg. dd. 24 Martii 1854 SS. DD. Pius PP. IX. concessit 100 dierum Indulgentiam semel in die lucrandam Confessariis hanc Orationem ante Sacramentales confessiones excipiendas devote et corde contrito recitantibus.

Digitized by Google

ad meliora industriam: in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer, alios salvem, meipsum non perdam. Amen.

ORATIO S. FRANCISCI XAVERII,

PRO CONVERSIONE GENTILIUM, HAERETICORUM ET PECCATORUM.

Aeterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium, haereticorum et peccatorum procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum, his ipsis infernus impletur. Memento, Jesum dilectum Filium tuum pro illarum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso, Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus, haereticis et peccatoribus con-

Digitized by Google

temnatur; sed precibus sanctorum virorum, et Ecclesiae sanctissimae, Filii tui sponsae, placatus, recordare misericordiae tuae, et oblitus idololatriae, infidelitatis, contumaciae et malitiae eorum, effice ut ipsi quoque agnoscant, timeant ac diligant aliquando, quem misisti, Dominum nostrum Jesum Christum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus; cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

THRENUS S. AUGUSTINI,

PRO PRIVATIS ET PUBLICIS NECESSITATIBUS *).

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, et plagas, quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum, quod fecimus; minus est, quod patimur; majus est, quod meremur.

*) De mandato Urbani PP. VIII editus.

Digitized by Google

Gravius est, quod commisimus: levius est quod toleramus.

Peccati poenam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur.

Mens aegra torquetur, et cervix non flectitur.

Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat.

Si expectas, non corrigimur: si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione, quod egimus: obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas: si peperceris, iterum provocamus, ut ferias.

Habes, Domine, confitentes reos: novimus, quod nisi dimittas, recte nos perimas.

Digitized by Google

Praesta, Pater omnipotens, sine merito, quod rogamus: qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

v. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

OREMUS.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

PIAE PETITIONES S. AUGUSTINI AD DOMINUM JESUM CHRISTUM.

Domine Jesu, noverim me, noverim te.
Nec aliquid cupiam nisi te.
Oderim me, et amem te.
Omnia agam propter te.

Digitized by Google

Humiliem me, exaltem te.
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me, et vivam in te.
Quaecumque eveniant accipiam a [te.
Persequar me, sequar te:
Semperque optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te,
Ut merear defendi a te.
Timeam mihi, timeam te,
Et sim inter electos a te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim propter te.
Ad nihil afficiar, nisi ad te,
Et pauper sim propter te.
Aspice me, ut diligam te.
Voca me, ut videam te.
Et in aeternum fruar te.
Amen.

Digitized by Google

BENEDICTIO
CRUCIS, IMAGINIS ET ROSARII.

—

BENEDICTIO CRUCIS.

v. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens Deus, qui Crucis signum pretioso Filii tui Sanguine dedicasti, quique per eandem Crucem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum redimere voluisti, et per virtutem ejusdem venerabilis Crucis humanum genus ab antiquo hostis chirographo liberasti, te suppliciter exoramus, ut digneris hanc Crucem

Digitized by Google

(vel has Cruces) paterna pietate bene ✠ dicere, et coelestem ei (vel iis) virtutem et gratiam impertire; ut quicumque eam (vel eas) in passionis et Crucis Unigeniti Tui signum, ad tutelam corporis et animae super se gestaverit, aut coram ea (vel eis) preces effuderit, coelestis gratiae plenitudinem in ea (vel eis) et munimen valeat tuae benedictionis accipere. Quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixisti, ita et hoc Signum (vel haec Signa) tua dextera bene✠dic: et contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei (vel eis) tuae defensionis impendas, ut portantibus illud (vel illa) animae pariter et corporis prosperitatem conferat (vel conferant) salutarem, et spiritualia in eis dona multiplicet (vel multiplicent). Per eundem Christum Dominum Nostrum. Amen.

Digitized by Google

Deinde Sacerdos aspergit crucem ipsam aqua benedicta, et super recepturum ipsam dicit:

OREMUS.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui es verus et omnipotens Deus, splendor et imago Patris et vita aeterna, qui tuis discipulis asseruisti ut quicunque vult post te venire semetipsum abneget et suam crucem tollat, et te sequatur, quaesumus immensam clementiam tuam, ut hunc famulum tuum (vel *am* aut *os* vel *as*) qui (vel quae) juxta verbum tuum seipsum (vel *am* aut *os* vel *as*) abnegare, suamque crucem tollere et te sequi vult (vel volunt), semper et ubique protegas, a periculis omnibus exuas, a vinculis peccatorum absolvas, atque ad beatam coelestis Patriae mansionem perducas. Qui cum Patre et Spiritu Sancto

Digitized by Google

vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Deinde Sacerdos osculatur crucem ac porrigens dicit:

Accipe (vel accipite) signum crucis in nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti, in memoriam crucis, passionis et mortis Christi, ad tui corporis et animae defensionem in vitam aeternam. Amen.

Demum Sacerdos aspergit cruce signatum aqua benedicta.

BENEDICTIO IMAGINIS
B. M. V. VEL ALIORUM SANCTORUM.

v. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

v. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Digitized by Google

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum tuorum imagines sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur: hanc (vel has) quaesumus imaginem (vel sculpturam) (seu has *es* vel *as*) in honorem ac memoriam B. Mariae Virginis (vel aliorum sanctorum N.) adaptatam (as) bene ✠ dicere ac sanctificare digneris; et praesta, ut quicumque super se portaverit eam (vel eas), aut coram ea (vel eis) ipsam B. M. Virginem (vel alios sanctos N.) suppliciter honorare studuerit, illius (vel illorum) precibus ac obtentu a te gratiam in praesenti et aeternam gloriam obtineat in futuro. Per Dominum nostrum J. C. Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Deinde Sacerdos aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO ROSARII.

v. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

v. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

v. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens Deus, qui propter eximiam charitatem qua dilexisti nos, Filium tuum Dominum nostrum de coelis in terram descendere et de B. M. Virginis utero sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem sumere crucemque postea et mortem subire voluisti ut nos eriperes de potestate

Digitized by Google

tenebrarum: obsecramus clementiam tuam, ut haec signa *Rosarii* in honorem et laudem ejusdem Mariae genitricis Filii tui bene✠dicas, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque ea super se portaverint atque attente et devote recitaverint, per invocationem sancti nominis tui, corporis sanitatem et animae tutelam percipiant, fiantque consortes et participes Indulgentiarum et privilegiorum, quae a Sancta Sede Apostolica nobis concessa fuerunt. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Sacerdos aspergit aqua benedicta.

Digitized by Google

BENEDICTIO SCAPULARIUM.

DE SS. TRINITATE.

v. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

v. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui tegimen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuae largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod Sancti Patres, ad innocentiae et humilitatis indicium, abrenuntiantes huic saeculo facere censuerunt, ita benedicere ✠ digneris, ut quicumque hoc usi fuerint

Digitized by Google

vestimento, Te induere mereantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Deinde aspergat Scapularia aqua benedicta, genuflectat recipiens, et dicat Sacerdos, scapulare tradens:

Accipe habitum ordinis Sanctissimae Trinitatis in augmentum fidei, spei et charitatis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus sancti ✠ Amen.

DE SS. MARIA DE MONTE CARMELO.

BENEDICTIO HABITUS.

v. Ostende nobis Domine, misericordiam tuam.

R. Et salutare tuum da nobis.

v. Domine Deus virtutum converte nos.

R. Et ostende faciem tuam et salvi erimus.

v. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

v. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Caput omnium Fidelium Deus et humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum, tuaeque genitricis Mariae de Monte Carmelo amorem, atque devotionem servus tuus est delaturus, dextera tua sanctifica ✠ et hoc, quod mystice per illud datur intelligi, tua semper custodia corpore et animo sectetur, et ad remunerationem perpetuam, cum sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Deinde aspergat aquam benedictam super *habitum, et postea ipsum imponat personae recipienti, dicens:*

Accipe frater devote (*vel* soror devota) hunc habitum benedictum, precans SS. Virginem, ut ejus me-

Digitized by Google

ritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. Amen.

Deinde dicat: Ego ex potestate mihi tradita et concessa, ac juxta intentionem Sanctitatis suae, suscipio et recipio te (*vel* vos) ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, horarum canonicarum, ac caeterorum bonorum spiritualium, quae passim die nocteque, cooperante misericordia Jesu Christi, a Religiosis dictae confraternitatis peraguntur. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Benedicat te (*vel* vos) conditor coeli et terrae, Deus omnipotens, qui te (*vel* vos) eligere dignatus est ad Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo societatem ac confraterni-

Digitized by Google

tatem, quam precamur, ut in hora obitus tui (*vel* vestri) conterat caput serpentis, qui tibi (*vel* vobis) est adversarius, et tandem tamquam victor (*vel* victores) palmam et coronam sempiternae haereditatis consequaris (*vel* consequamini). Per Christum Dominum nostrum. Amen.

SCAPULARE SEPTEM DOLORUM SS. MARIAE VIRGINIS.

BENEDICTIO SCAPULARIS.

v. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui tegimen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres, ad innocentiae humilitatisque indicium, in memoriam septem dolorum

Digitized by Google

Beatae Virginis Mariae nos ferre sanxerunt, ita benedicere ✠ digneris, ut qui illis fuerit indutus, corpore pariter ac animo induat te Salvatorem nostrum. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

Postea sacerdos aspergit Scapulare aqua benedicta, illud recipienti imponat, dicens:

Accipe charissime frater (*vel* soror) habitum Beatae Mariae Virginis, singulare signum servorum suorum, in memoriam septem dolorum, quos ipsa in vita et morte unigeniti Filii sui sustinuit, ut ita indutus (*vel* induta) sub ejus patrocinio perpetuo vivas.

Benedictio Dei omnipotentis ✠ Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super te (*vel* vos) et maneat semper: Passio Domini nostri Jesu Christi, et compassio Beatae Mariae Virginis sit in corde et corpore nostro. Amen.

Digitized by Google

SCAPULARE IMMACULATAE CONCEPTIONIS SS. MARIAE VIRGINIS.

BENEDICTIO.

v. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui tegimen nostrae mortalitatis induere dignatus es, tuae largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam conceptionis immaculatae Beatae Mariae Virginis in hominum pravorum morum reformationem institutum fuit, benedicere ✠ digneris, ut hic famulus (*vel* famuli tui), qui eo indutus fuerit (*vel* induti fuerint), Beata Maria Virgine intercedente, Te quoque induere mereatur (*vel*

Digitized by Google

mereantur). Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Postea sacerdos aspersum Scapulare aqua benedicta imponat recipienti dicens:

Accipe frater (*vel* accipite fratres) Scapulare Beatae Mariae Virginis immaculatae, ut, ea intercedente vetere homine exutus, ab omni inquinamento mundatus, ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Amen.

Et ego ex facultate mihi tradita, ac juxta intentionem Sanctitatis suae, recipio te (*vel* vos) in participationem bonorum spiritualium, quae in Religiosis dictae confraternitatis Ordinibus gratia Dei fiunt, et quae per Sanctae Sedis Apostolicae privilegium concessa sunt. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

NB. Si plures sint, numerus pluralis semper adhibeatur.

Digitized by Google

SODALITIUM SPIRITUALE
SEMINARII THEOLOCICI
IN WARMOND

INSTITUTUM DIE DECIMO OCTOBRIS 1800.

—

Sodalitium hoc spirituale eo fine nuncupatum et institutum est, ut qui tempore, quo se ad sacra munera obeunda in Seminario praeparantes, cohabitando necessitudinem contraxerunt, eam deinde dum in sacro ministerio agentes erunt dispersi, spiritualiter prosequantur.

Sodalitio itaque inscribuntur Sacerdotes, qui in Seminario studiorum cursum absolverunt; pariter Directores et Professores, si illis libuerit, inscribentur.

Sodalitio inscripti se obstringunt ad sequentia:

Digitized by Google

I.

Singulis annis quisque dicet Missam, aut propriam in Festo Sancti Caroli Borromaei episcopi et confessoris, aut votivam alio die convenienti de eodem Sancto, peculiariter in Patronum hujus Sodalitii electo, ea intentione, ut Deus ter optimus, per intercessionem sancti Caroli, functiones et labores Sodalium benedictionibus suis augere et perficere dignetur.

II.

In quaque Missa, ad *Memento vivorum* memoria Sodalium vivorum, et ad *Memento mortuorum* pariter memoria fiet defunctorum ex hoc Sodalitio.

III.

Dum obierit Sacerdos Sodalitio adscriptus, quisque pro solatio animae defuncti sanctum Missae Sa-

Digitized by Google

crificium offeret, eamque Missam in ecclesia sua more solito populo annuntiabit.

Huic obligationi ipse si satisfacere non potest, per alium sacerdotem satisfieri curabit.

IV.

Qui conditiones has negligit eo ipso Sodalitii fructibus spiritualibus renuntiare censebitur.

V.

Superiores Seminarii curabunt ut obitus Presbyteri sodalis Sodali cuique missa epistola nuntietur.

VI.

In Libro in hunc finem servando sodalium omnium nomina scribentur: et sodali cuique dabitur schedula continens Sodalitii leges.

VII.

Qui absolutis studiis Seminario exiens sodalis assumitur dabit in

Digitized by Google

sumtus schedularum, epistolarum caet. florenum unum cum viginti centesimis.

VIII.

Siquis morum vel scandalosa aliqua causa e ministerio demittitur, omni Sodalitii jure privatus exsistet.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Praeparatio ad Missam.	3
Gratiarum actio post Missam .	25
Preces quaedam peculiares:	
Veni Creator cum ℣℣. et oratione.	39
Te Deum, cum ℣℣. et orationibus.	41
De Profundis „ „ „ .	45
Tantum ergo, cum ℣℣. et orat. . .	49
Oratio „Sancti nominis"	50
Domine salvum fac, cum ℣℣. et orat.	50
Oratio S. Thomae Aq. ante studium	51
Oratio ante Sacramentales confessiones excipiendas	53
Oratio S. Francisci Xav. pro conversione gentilium, haeret. et pecc.	54
Threnus S. Augustini „Ante oculos"	55
Piae petitiones S. Augustini. . .	57
Benedictio Crucis, Imaginis et Rosarii.	59
Benedictio Scapularium. . . .	66
Statuta Sodalitii S. Car. Borr. .	74

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google